SOLLENNIA ANNIVERSARIA

IN

GYMNASIO REGIO

NORIMBERGENSI

DIE XXVII. MENSIS AUGUSTI MDCCCL

RITE CELEBRANDA

INDICIT

GODOFREDUS HEROLD,

GYMNASII PROFESSOR.

INEST EMENDATIONUM HERODOTEARUM SPECIMEN.

NORIMBERGAE

TYPIS CAMPEANIS.

1850.

Multi reperiuntur iique nec laudis contemptores nec amantes desidiae, qui miseram his temporibus esse dictitent antiquitatis studiorum conditionem, cum ob alias causas tum propterea quod veteres scriptores ita sint pertractati jam ac pervestigati, ut, qui ingenium exercere velit, vix quo id faciat sibi videat relictum. A quorum ego judicio absum longissime. Nam in tritissimo quoque libro, sive res spectes sive verba, sive interpretandi rationem sive scripturae integritatem examines, neque omnia reperias satis illustrata, et permulta, velut extra omnem dubitationem posita, unius alicujus auctoritatem secutos editores omnes quasi per manus tradita servasse mireris, ut tantum absit, ut jam ad finem pervenerit, ut diu, si deo placet, duratura sit haec vel explicandi vel restituendi opera.

Quod ad Herodotum attinet, quem esse paulo amplius quam bonum illum senem fabulas pueris narrantem, qualis ante habebatur, nuper demum est perspectum, viri docti hujus aetatis dici vix potest quantum in legibus dialecti jonicae indagandis studii collocaverint quantumque profecerint ad tenebras, quibus haec materia involuta esse videbatur, dispellendas, atque ut dicam quod sentio, aut omnia me fallunt aut erit mox qui adhibita majore in eo genere aequabilitate et constantia nobis patrem historiae suo proprio habitu nitentem exhibeat. Neque vero quod de dialecto, idem de genere orationis et usu dicendi Herodoteo potest praedicari. In quo etsi plurima recte vidit primarius vir, Immanuel Bekkerus, quaeque subnascenti ingenio adminicula fuissent, ab eo cui nihil deesset ad nominis sui laudem praeoccupari voluit fortuna, haud pauca tamen aut fugerunt ejus sagacitatem aut codicum scripturam maluisse servare putandus est.

Est autem ille quem dixi usus dicendi Herodoteus tam certus tamque definitus, ut facile liqueat animum advertenti, sicubi vel grammaticorum commentis vel librariorum inscitia sit obliteratus. Atque quum nota sit vetus de depravatione operis Herodotei querela, quod Guilielmus Dindorfius in commentatione de dialecto Herodoti de vocabulorum ille quidem formis disserens monuit, idem etiam hic faciendum est, ut caveamus a superstitiosa codicum reverentia, quippe qui saepe ineptissimas res in medium proferant, ubi quid verum sit nemo possit dubitare. Nam eorum quidem ratio, qui fastidientes artem criticam, quandoquidem fuere qui temere ea abusi detrimentum literis importarent, divinae arti prope nihil, scriptae literae omnia tribuunt, non magis opitulatur literis quam bono publico consulunt, qui, effrenatam licentiam ut coërceant, ipsi libertati frenos injiciunt.

In iis quae jam sequuntur hoc mihi fuit propositum, ut exemplis ex primo Herodoti libro depromptis ea quae supra commemoravi non sine causa a me disputata esse ostenderem, utque, cujus scriptoris lectione mirifice semper delectabar, ad ejus orationem a vitiis, quibus adhuc deformatur, vindicandam aliquid, si fieri posset, conferrem. Placuit autem omnem, quae est subjecta huic disputationi, materiam in duo dividere capita, quorum unum nonnullos locos complectitur, quos quum vitiosos esse intellexissent, correxerunt critici, non ita tamen, ut eos persanarent; alterum continet eorum locorum exempla, quos aut nemo tentavit, aut si quis forte nonnihil addubitavit, reliqui in vulgata acquieverunt scriptura.

CAPUT I.

Tres potissimum locos ex iis qui maxime omnium in controversiam sunt vocati hic mihi tractandos sumpsi, quorum primus est is qui legitur I, 33:

> Ταῦτα λέγων τῷ Κροίσῳ οὔ κως οὔτε ἐχαρίζετο, οὔτε λόγου μιν ποιησάμενος οὐδενὸς ἀποπέμπεται, κάρτα δόξας ἀμαθὴς εἶναι, ὃς τὰ παρεόντα ἀγαθὰ μετεὶς τὴν τελευτὴν παντὸς χρήματος ὁρᾶν ἐκέλευε.

Sic Bekkerus cum libris manu scriptis, nisi quod duo *λέγοντι* et prope omnes *ἀμαθέα* exhibent. Interpretes omnes agnoscunt loci difficultatem, ad quam tollendam triplicem interpretandi rationem inierunt. Alii enim, quae narrantur, de Croeso dici putant, alii ad Solonem referunt, nonnulli denique partim de Solone, partim de Croeso hic agi sibi persuadent. Quaeritur igitur, quo jure.

Ac primum quidem qui verba ita intellexerunt, ut ea ad Croesum referenda esse putarent, quum ejusmodi explicatio hac verborum constructione nequaquam admitti posse videretur, non solum *ἀμαθέα* unice verum esse judicarunt, sed aut, id quod Schweighaeuserus voluit, *ταῦτα λέγοντι Κροῖσος* scribendum censuerunt, aut, quod jam Porto et Gesnero in mentem venerat, nominativum participii ex eo genere dicendi explicandum statuerunt, quo casus ille nonnunquam ita esset positus, ut ei nihil in reliqua oratione responderet. Quorum neutrum sufficit neque ad dictionem graecam reddendam neque ad perversitatem sententiae removendam. Nam ut nihil dicam de eo, quod sic abesset pronomen quod omitti non posset, quis est hodie qui tam imperitus sit graecae linguae, ut ne temporum quidem discrimen pernoverit et *ἐχαρίζετο* eam habere potestatem opinetur, ut significet quod illi volunt: *gratificatus est* vel *benigne tractavit?* aut quis credat Herodotum rem simplicissimam tam contorte elocutum esse, ut altero *οὔτε* cum participio conjuncto primarium verbum nudum subsequi voluerit? Verum pone et graecam esse orationem et satis concinnam, num quae commodissima a viris doctis perhibetur sententia tolerabilem eam esse dicemus? Croesus, ajunt, nec quidquam Soloni est gratificatus nec ullo loco eum habens dimisit. At quid tandem exspectaret, quem propter sapientiae famam et liberalissime rex accepisset et tanto dignum honore duxisset, ut thesauros ei suos ostendi juberet? Ut dicam quod res est, nihil infelicius excogitari potuit ea interpretatione, quae et vim inferat sermoni et sensum efficiat ineptissimum.

Paulo alii rectius priorem loci partem de Solone, posteriorem de Croeso acceperunt, quorum rationem Guil. Dindorfium in editione sua secutum esse miror, qui intelligere de-

bebat, falso Croesum dici nullo Solonem loco habuisse. Illud vero facile perspexit vir doctissimus, graeca ut fieret oratio, emendatione opus esse, itaque textum hoc modo constituit:

Ταῦτα λέγων τῷ Κροίσῳ οὔ κως ἐχαρίζετο, ὁ δὲ λόγου μιν ποιησάμενος οὐδενὸς ἀποπέμπεται, κάρτα δόξας ἀμαθέα εἶναι κτλ.

hac addita interpretatione: Haec dicens minime gratum se praebebat Croeso, sed is nullam ejus rationem habens a se dimisit, inscitum admodum esse hominem ratus, qui praesentia bona omittens finem cujusque rei juberet respicere.

Jam quum ne hanc quidem explicationem ex omni parte satisfacere appareat, nihil aliud restat, quam ut eam interpretandi rationem, quam supra secundo loco posuimus, asciscamus et verba ad Solonem referamus, quemadmodum et Bekkerus fecisse videtur. Manum autem Herodoti ita demum restituemus, si scripserimus:

Ταῦτα λέγων τῷ Κροίσῳ οὔ κως ἐχαρίζετο· ἅτε δὲ λόγου μιν ποιησάμενος οὐδενὸς ἀποπέμπεται, κάρτα δόξας ἀμαθὴς εἶναι κτλ.

quae verba et simplicitati scriptoris vel maxime accommodata sunt et ipsius de Solone narrationi congruunt et tum causam dimittendi tum quam de se opinionem in regis animo reliquerit indicant. Hanc enim habent sententiam: Haec dicens Croeso neutiquam grata loquebatur; quoniam autem nullam ejus rationem habuerat, dimittitur, indoctus admodum visus, qui praesentibus bonis omissis finem cujusque rei juberet spectari. Itaque quae hoc loco habemus, ea nos admonent eorum quae cap. 30 scripta sunt: *ὁ μὲν ἐλπίζων εἶναι ἀνθρώπων ὀλβιώτατος ταῦτα ἐπειρώτα, Σόλων δὲ οὐδὲν ὑποθωπεύσας ἀλλὰ τῷ ἐόντι χρησάμενος λέγει.*

Reliquum est, ut quae fuerit corruptelae origo ostendamus. Librarii quum *ἅτε* particulam, ***ut quae in superioribus capitibus nondum occurrisset,*** tanto facilius in *οὔτε* mutassent, *δὲ* autem ut saepissime neglexissent, post *οὔκως* poliendi scilicet causa alterum *οὔτε* inserendum esse existimaverunt. *Ἀμαθέα* autem eos correxisse probabile est, qui totum locum de Croeso acciperent verboque *ἀποπέμπεται* mediam attribuerent potestatem.

Alter locus est I, 91, ubi vulgo haec leguntur:

ᾧ καὶ τὸ τελευταῖον χρηστηριαζομένῳ εἶπε τὰ εἶπε Λοξίης περὶ ἡμιόνου· οὐδὲ τοῦτο συνέλαβε.

Pro *συνέλαβε* est in libris fere omnibus vulgari errore *συνέβαλε*, quod etsi vel Aug. Matthiae recepit, nemo jam tuebitur. *ᾧ* quum consuetudini Herodoteae a C. L. Struvio

diligentissime observatae repugnet, Bekkerus et Dindorfius jonicam pronominis relativi formam *τῷ* restituisse satis habuerunt, reliqua ita uti supra scripsimus ediderunt. Sed jam Valckenarius hoc dicendi genere offensus prius *εἶπε* adjectum veteremque scripturam hanc fuisse putabat: *τῷ καὶ τὸ τελευταῖον χρηστηριαζομένῳ τὰ εἶπε Λοξίης περὶ ἡμιόνου οὐδὲ τοῦτο συνέλαβε.* Aliam viam ingressus est Bredovius Berolinensis, in libro immensi laboris, qui criticas de dialecto Herodotea quaestiones continet, a p. 29 haec disputans: „Si eos locos, quorum ad similitudinem illud *εἶπε τὰ εἶπε* conformatum est, inter se comparaverimus, talem dictionem ibi tantum obtinere patebit, ubi eodem verbo quadam cum emphasi repetito pro sua ipsius rei appellatione nomen substantivum sive illud ex eadem qua verbum stirpe repetendum, sive ex alia, per pronomen quoddam majore cum vi indicatur; sic I. 39 *εἰ γάρ ὑπ' ὀδόντος τοι εἶπε τελευτήσειν με — χρῆν δέ σε ποιέειν τὰ ποιέεις.* I. 206 *παῦσαι σπεύδων τὰ σπεύδεις.* II. 49 *καὶ ἀπὸ τούτου μαθόντες ποιεῦσι τὰ ποιεῦσι Ἕλληνες.* III. 16 *βουλόμενος ποιῆσαι τὰ δὴ καὶ ἐποίησε.* Cf. et II. 93. III. 156. V. 86. VII. 175 (?). IV. 50 (?). VI. 4. IV. 146. — Quum igitur illud *εἶπε τὰ εἶπε Λοξίης* nostro a loco alienum esse vel istis ex locis satis manifestum esse videatur, vel hac ex causa, quod *τὰ*, si genuinum esset, ad sequens *τοῦτο* referendum esset; neque etiam omnino verba ista *εἶπε τὰ εἶπε Λοξίης* hoc quo nunc posita sunt ordine collocata, inter se recte conjungi possunt (sic!), quum Herodotus ipse sic potius haec verba collocasse judicandus esset *τῷ — εἶπε Λοξίης τὰ εἶπε —* , ut, si vulgari eorum verborum collocatione *εἶπε τὰ εἶπε Λ.* uteremur, necessario prioris verbi *εἶπε* aliud subjectum esse nobis statuendum esset, quam nomen *Λοξίης* ad alterum *εἶπε* pertinens. Quod quum ita sit, equidem non prius illud *εἶπε* cum Valck. aliisque ejiciam, quum illud *εἶπε*, praeterquam quod omnibus in libris Mss. retentum est, etiam ad totius Pythiae responsi sensum valde sit necessarium et cum *προηγόρευε* paullo supra posito aequiparandum (sic!); sed sequentia verba *τὰ εἶπε*, a grammatico quodam vel librario, ut haberet quo *τοῦτο* referret, adsumta. Nam prius illud *εἶπε*, ut *προηγόρευε*, cum altiore quodam vocis sono efferendum est, quum ipsis istis verbis praecipua causa significetur, cur non Loxias sed Croesus ipse in culpa sit; ille enim non deseruit eum, sed *dixit* ei, quid eventurum sit. Huc accedit quod ipsa verba *τὰ εἶπε* a codicibus S. V. et versione Laur. Vall. absunt, ut similis verborum structura evadat, atque est II. 40 *τὴν δ' ὦν μεγίστην τε δαίμονα ἥγηνται εἶναι καὶ μεγίστην οἱ ὁρτὴν ἀνάγουσι, ταύτην ἔρχομαι ἐρέων,* ubi *ταύτην* non ad *δαίμονα* referendum esse sed ad *ὁρτὴν* patet (cf. Struv. spec. I, p. 28 sq.). Neque etiam id quemquam nostro loco offendet, quod demonstrativo *τοῦτο*, quod sola ex grammatica ratione ad relativum *τῷ* spectat, non ad vocabulum quoddam clare expressum demonstratur (sic!), sed ad totum enunciatum obscurius indicatum. Quare non nisi sic constituta illa verba genuina esse possunt: *τῷ καὶ τὸ τελευταῖον χρηστηριαζομένῳ εἶπε Λοξίης περὶ ἡμιόνου· οὐδὲ τοῦτο συνέλαβε.*“

Haec ille, quorum multa nec satis dilucide et paulo festinantius exposita sunt, nihil autem non argutius quam verius dictum est. Nam neque verba, de quibus agitur, per se ab hoc loco aliena esse neque collocationem verborum vitiosam esse comparati loci ipsi docent, et quod *εἶπε* altiore vocis sono efferri oportere dixit, id vereor magnopere ut cuiquam probetur, quum non responderitne Apollo, sed quid responderit quaeratur. Quodque in fine addidit demonstrativum *τοῦτο* ex grammatica ratione ad relativum *τῷ* spectare, id vero me prorsus non intelligere fateor libentissime.

Quid erit igitur statuendum? Et Valckenarius et Bredovius prope ad verum accesserunt; ille quid voluerit aut debuerit dicere Herodotus assecutus est, hic quid sit ejiciendum perspexit. Ita enim se res habet. Postquam Pythia legatis Croesi respondit, injuria regem exprobrare de oraculo, ita pergit: praedixit enim Apollo, si bellum Persis inferret, fore ut magnum everteret imperium. At ille non intellexit responsum nec denuo misit qui consulerent, quocirca se ipsum accuset. Quod autem postremum consulenti respondit deus de mulo, ne hoc quidem intellexit, nam Cyrus erat revera hic mulus. Tum quatenus hoc de Cyro possit affirmari refert. Hinc duae res sunt perspicuae: primum verba *οὐδὲ τοῦτο συνέλαβε* arctius cohaerere cum iis quae antecedunt; quod nisi esset, ne necessaria quidem forent; hoc enim exspectares: cui etiam postremum consulenti quae respondit Apollo respondit de mulo; Cyrus enim hic mulus erat. Deinde toto hoc enuntiato, quod incipit a *τῷ*, novam et primariam efferri sententiam, cui confirmandae reliqua inserviant omnia, eamque vix convenire per relativum priori tamquam secundariam adjungi. Quae quum ita sint, locum hoc modo restituendum puto:

τὸ δὲ τὸ τελευταῖον χρηστηριαζομένῳ οἱ εἶπε Λοξίης περὶ ἡμιόνου, οὐδὲ τοῦτο συνέλαβε.

Errorem librariorum inde ortum esse crediderim, quod quum *τὸ* propter sequentem dativum participii in *τῷ* mutassent neque haberent quod ad *εἶπε*, ut objecti locum obtineret, referrent, vocula autem *οἱ* videretur esse bis positi verbi *εἶπε* initium, eam dicendi rationem hic sibi deprehendere viderentur, qua saepe verbum cum pronomine relativo repetitur, eamque ob causam *τὰ* interponendum judicarent. Permutationem particularum *δὲ* et *καὶ* nemo mirabitur, qui sciat simili eas sono pronuntiatas esse; *ο* et *ω* facile confundi et per se patet et infra exemplis insignibus demonstrabo; inter *οι* autem et *ει* intercedere aliquam similitudinem tam incredibile multis videbitur, ut necesse sit in hac re paulum commorari. Eum pronuntiandi modum, quem nostrates ab Reuchlino appellare consueverunt, non recentiori demum aetate natum, sed perveterem esse tum libri manu exarati tum lapides inscripti declarant, nec dubitari debet, quin ex hoc fonte praecipue infinita illa vitiorum multitudo manaverit, quae a doctis viris pro variis lectionibus haberi

solent, quum nihil fere sint nisi indoctorum hominum errores. *) Quemadmodum igitur hodie *οι* et *ει* eodem sono atque *ι* efferuntur, sic in codicibus passim confunduntur; hinc promiscuus verborum *οἰκὸς* et *εἰκὸς* usus, hinc sollemnis optativi et indicativi formarum permutatio. Possum sexcenta ex variis scriptoribus exempla proferre, sed satis habeo memorasse haec ex Herodoto sumpta: II, 93 pro *οἶστρος* habent optimi codices S. V. qui unius sunt familiae *ἴστρος*, II, 115 pro *ἱκέτας* habet S. *οἰκέτας*, III, 8 idem *τίσι* pro *τοῖσι*, III, 113 *ἐποίει* pro *ἐπείη*, IV, 31 *οἶδε* pro *εἶδε*. Ne quis vero offendatur spiritu aspero pronominis *οἱ*, quum prior verbi *εἶπε* syllaba illo careat, vis spiritus ejus mature evanuisse putanda est, cujus rei in codicibus quoque vestigia inveniri non est quod miremur (vid. Herod. II, 169 ubi S. *ἐσώθησαν* et *ἐσώθη* pro *ἐσσώθησαν* et *ἐσσώθη*), illud vero recte mireris, quod interdum ea re viri doctissimi in errorem sunt inducti. Quod ne cui temere dictum videatur, apponam exemplum memoratu dignissimum. I, 18 init. recte nunc legitur: *ταῦτα ποιέων ἐπολέμεε ἔτεα ἕνδεκα, ἐν τοῖσι τρώματα μεγάλα διφάσια Μιλησίων ἐγένετο, ἔν τε Λιμενηΐῳ χώρης τῆς σφετέρης μαχεσαμένων καὶ ἐν Μαιάνδρου πεδίῳ.* Quum in nonnullis iisque vetustissimis libris exstet *ἔν τε ἐν Λιμενηΐῳ*, haec scriptura viris doctis mira comminiscendi occasionem praebuit; Iacob. enim Gronovius laudati sui codicis Medicei patrocinium suscipiens *ἔν τε* absolute positum dicebat explicabatque: inter alia, in his; Schweigh. vero post Reiskium *ἐν Λιμενηΐῳ* ex prisco scribendi usu idem valere putabat atque *Ἐλλιμενηΐῳ*, hoc autem esse loci nomen, ubi pugna illa sit commissa. Vitii originem num quis patefecerit nescio; mihi quidem tam manifesta videtur esse, ut dubitari nequeat. Librarius namque antecedente vocabulo *διφάσια* deceptus praepositionem *ἐν* cum numerali *ἕν* confudit, illam tamen quum deesse non posse intellexisset, post inseruit. Plane simili modo II, 43, ubi recte legitur: *πολλά μοι καὶ ἄλλα τεκμήριά ἐστι τοῦτο οὕτω ἔχειν, ἐν δὲ καὶ τόδε*, et I, 192, ubi est: *τὴν δὲ δύναμιν τῶν Βαβυλονίων πολλοῖσι μὲν καὶ ἄλλοισι δηλώσω — ἐν δὲ δὴ καὶ τῷδε* libri quidam *ἕν δὲ* exhibent. Ceterum cf. III, 128: *ἀποπειρεόμενος δὲ τῶν δορυφόρων ἐδίδου τὰ βιβλία ὁ Βαγαῖος, εἴ οἱ ἐνδεξαίατο ἀπόστασιν ἀπ' Ὀροίτεω*, ubi *οἱ* post *εἰ* in optimis libris omissum editores recentiores rectissime ex S. recepere.

Veniamus jam ad tertium locum, qui inprimis documento est, qua indulgentia viri docti saepe vel ineptissima ferant et aliquo modo excusare potius studeant quam ut codicum auctoritati diffidere audeant. Est autem is locus I, 106, ubi vulgatae editiones haec habent:

χωρὶς μὲν γὰρ φόρων ἔπρησσον παρ' ἑκάστων τὸ ἑκάστοισι ἐπέβαλλον·
χωρὶς δὲ τοῦ φόρου ἥρπαζον περιελαύνοντες τοῦτο ὅ τι ἔχοιεν ἕκαστοι.

---

*) cf. quae dixi in commentariis Monac. (*Gelehrte Anzeigen*) a. 1843. num. 126 et 127.

Leve scribarum mendum ita totam perturbavit sententiam, ut et superioris aetatis interpretes magnopere vexarentur nec hodie constet de vera loci scriptura. Quamvis enim Reiskius verum invenisset, tamen et ipse incertus erat, qui duplicem proponeret medelam, et alii a librorum vestigiis discedere religioni habentes, si quam forte verborum insolentium excogitare possent explicationem, circumspiciebant. Itaque quum hoc quod significari videretur: *praeter tributum exigebant a singulis tributum et praeter hoc tributum rapiebant quod singuli haberent* in sani scriptoris orationem parum convenire appareret, ecce exstiterunt qui ita scite et subtiliter interpretis munere fungerentur, ut triplex vexationum genus his verborum portentis indicari reperirent: primum certa tributa imposuisse Scythas, deinde diversis temporibus, prout illis libuerit, tributum exegisse, postremo incursando quod singuli haberent rapere solitos. Haec non in verbis ipsis inesse, sed sollertiae interpretis deberi quivis intelligit, nec C. F. Baehrius, quamquam et ipse confugit ad hanc miram explicandi rationem, potest non fateri multum superesse difficultatis in verbis *χωρὶς δὲ τοῦ φόρου*, quamobrem ea ex glossemate in textum irrepsisse arbitratur. Bekkerus quod Reiskius conjecerat, *φόρον*, non dubitavit recipere; Dindorfius contra sine idonea causa praetulit *φόνων*. Nam si levi mutatione non solum sententiae perversitas tollatur, sed etiam dicendi genus efficiatur a consuetudine scriptoris non abhorrens, cur illa rejiciatur, equidem causam video nullam. Itaque nisi credas quidvis dicere potuisse Herodotum, sic scribatur necesse est:

χωρὶς μὲν γὰρ φόρον ἔπρησσον παρ' ἑκάστων τὸν ἑκάστοισι ἐπέβαλλον,
χωρὶς δὲ τοῦ φόρου ἥρπαζον περιελαύνοντες τοῦτο ὅ τι ἔχοιεν ἕκαστοι.

Quae verba simpliciter hoc significant: separatim enim tributum exigebant, quod quibusque imponebant, et praeter hoc tributum circumequitantes rapiebant quodcunque singuli haberent, i. e. primum enim tributum exigebant cuique impositum, tum autem rapiebant quoque quidquid singuli haberent. Quomodo vocabulo *φόρος* utatur Herodotus, ne quis dubitet, conferat III, 89 — 98. Quod hic *χωρὶς τοῦ φόρου* dicitur, alibi est *πάρεξ τοῦ φόρου*, cf. I, 192. III, 117. III, 97. De usu adverbii *χωρὶς* cf. III, 127: *χωρὶς μὲν γὰρ τῶν Περσέων ἐκέετο τὰ ὀστέα, ὡς ἐχωρίσθη κατ' ἀρχάς, ἑτέρωθι δὲ τῶν Αἰγυπτίων.* Totum autem dicendi genus ab epici sermonis copia profectum simillimum est et conferendum illi III, 36: *κτείνεις μὲν ἄνδρας σεωυτοῦ πολιήτας ἐπ' οὐδεμιῇ αἰτίῃ ἀξιόχρεῳ ἑλών, κτείνεις δὲ παῖδας*, et ibid. *καὶ ἀπὸ μὲν σεωυτὸν ὤλεσας τῆς σεωυτοῦ πατρίδος κακῶς προστάς, ἀπὸ δὲ ὤλεσας Κῦρον πειθόμενόν σοι.*

Librarii eo facilius in errorem sunt inducti, quod in posteriore enuntiati membro particulam *χωρὶς* cum genitivo conjunctam cernebant, quumque *φόρον* confudissent cum *φόρων*, consentaneum erat *τὸν* mutari in *τό*. *O* et *ω* tam crebro permutantur in libris,

ut, si opus esset, permagnam exemplorum copiam possem congerere, sed ad rem sufficit haec enotasse: I, 114 optimorum codicum scriptura est *τῶν δέ κού τινα αὐτῶν* pro *τὸν δέ κού τινα αὐτῶν*. VII, 10, 4 pro *τὸν σύλλογον τόνδε διάλυσον* S. V. habent *τὸν σύλλογον τῶνδε δ.* VII, 13 pro *μεταδεδογμένον* F. *μεταδεδογμένων*. I, 111 et 115 in fin. vulgata lectio est *ὧδε* pro *ὅδε*. II, 99 in verbis: *ὁ ἀγκὼν οὗτος τοῦ Νείλου ὃς ἀπεργμένος ῥέει* multi codices exhibent *ὡς*. I, 110 *τὸν βουκόλον* plerique pro *τῶν βουκόλων*. II, 121, 4 *τὸν ἀσκὸν* S. V. pro *τῶν ἀσκῶν*. I, 111 *τὸ τέκος* iidem pro *τότε κως*.

Maxime confunduntur *τοῦτον* et *τούτων*, *τοῦτο* et *τούτῳ*, neque omnia hujus generis vitia correcta ab editoribus sunt. Ut I, 50 omnes praeter Gaisfordium ita ediderunt: *Λυδοῖσί τε πᾶσι προεῖπε θύειν πάντα τινὰ αὐτῶν τούτῳ ὅ τι ἔχοι ἕκαστος*, ad quem locum haec adnotavit Matthiae: „Non ausus sum cum Gaisf. *τούτῳ* mutare in *τοῦτο*, quamvis hoc sit in Flor. Nam idonea ratio excogitari potest, qua *θύειν τινὶ* commode dici posse videatur, ut sit *sacra facere aliqua re adhibita*.“ Atque Baehrius: „*τούτῳ* retinuimus pluribus libris ita jubentibus. *τοῦτο*, quod a Gaisf. in textum est receptum, mihi glossatoris manum sapere videtur, qui dativum *τούτῳ* non satis explicare valuerit; refero autem *τούτῳ* ad deum delphicum, cui Croesus ab omni Lydo id offerri voluit, quidquid unusquisque haberet aptum ad offerendum.“ At neque *θύειν τινὶ* graece dicitur ita, ut dativus rem quae sacrificetur declaret, neque *τούτῳ* satis commode ad remotius nomen *τὸν θεὸν* referri potest. Una restat ratio, de qua nemo dubitabit, qui et nostri loci verba: *τοῦτο ὅ τι ἔχοιεν ἕκαστοι* et hos contulerit locos. I, 210: *ἐγώ τοι παραδίδωμι χρέεσθαι αὐτῷ τοῦτο ὅ τι* (*τούτῳ* vulgo) *σὺ βούλεαι*. I, 69: *πέμψαντες γὰρ οἱ Λακεδαιμόνιοι ἐς Σάρδις χρυσὸν ὠνέοντο, ἐς ἄγαλμα βουλόμενοι χρήσασθαι τοῦτο τὸ* (*τούτῳ* Matth. Gaisf. Baehr.) *νῦν τῆς Λακωνικῆς ἐν Θόρνακι ἵδρυται Ἀπόλλωνος*. I, 80: *ἐς τὸ πεδίον δὲ συνελθόντων τοῦτο τὸ πρὸ τοῦ ἄστεός ἐστι τοῦ Σαρδιηνοῦ*. III, 133: *ὁ δὲ φὰς ὑγιέα ποιήσειν ἐξορκοῖ μιν ἦ μέν οἱ ἀντυπουργήσειν ἐκείνην τοῦτο τὸ ἂν αὐτῆς δεηθῇ*. III, 142: *Διὸς ἐλευθερίου βωμὸν ἱδρύσατο καὶ τέμενος περὶ αὐτὸν οὔρισε τοῦτο τὸ νῦν ἐν τῷ προαστείῳ ἐστί*. IV, 166: *πυθόμενος γὰρ καὶ ἰδὼν Δαρεῖον ἐπιθυμέοντα μνημόσυνον ἑωυτοῦ λιπέσθαι τοῦτο τὸ μὴ ἄλλῳ εἴη βασιλέϊ κατεργασμένον, ἐμιμέετο τοῦτον*. IV, 79: *οὐ γάρ φασι οἰκὸς εἶναι θεὸν ἐξευρίσκειν τοῦτον ὅστις μαίνεσθαι ἐνάγει ἀνθρώπους*. I, 59: *ὁ δὲ δῆμος ὁ τῶν Ἀθηναίων ἐξαπατηθεὶς ἔδωκέ οἱ τῶν ἀστῶν καταλέξας ἄνδρας τούτους οἳ δορυφόροι μὲν οὐκ ἐγένοντο Πεισιστράτου, κορυνηφόροι δέ*. I, 74: *τὴν δὲ μεταλλαγὴν ταύτην τῆς ἡμέρης Θαλῆς ὁ Μιλήσιος τοῖσι Ἴωσι προηγόρευσε ἔσεσθαι, οὖρον προθέμενος ἐνιαυτὸν τοῦτον ἐν τῷ δὴ καὶ ἐγένετο ἡ μεταβολή*. I, 167: *οἱ δὲ αὐτῶν ἐς τὸ Ῥήγιον καταφυγόντες ἐνθεῦτεν ὁρμεόμενοι ἔκτισαν πόλιν γῆς τῆς Οἰνωτρίης ταύτην ἥτις νῦν Ὑέλη καλέεται*. Ex his igitur locis sequitur, amare He-

rodotum pronomen demonstrativum ita usurpare, ut cum relativo nulla interjecta voce non sine quadam vi conjungat. Itaque, etiamsi nullus liber genuinam servaret scripturam, *τοῦτο δ' τι* pro *τρύτῳ δ' τι* I, 50 reponendum foret. Idemque scribendum III, 138, ubi in omnibus fere editionibus, Bekkeriana quoque et Dindorfiana, perperam sic legitur: *ὁ δὲ ἀντὶ τούτων ἑτοῖμος ἦν διδόναι τούτῳ δ' τι βούλοιτο αὐτός.*

Lubet his quae adhuc tractavimus subjungere aliud, quod paucis verbis transigamus.

I, 146:

Τούτων δὴ εἵνεκα καὶ οἱ Ἴωνες δυώδεκα πόλιας ἐποιήσαντο, ἐπεὶ ὥς γέ τι μᾶλλον οὗτοι Ἴωνές εἰσι τῶν ἄλλων Ἰώνων ἢ κάλλιόν τι γεγόνασι μωρίη πολλὴ λέγειν, τῶν Ἄβαντες μὲν ἐξ Εὐβοίης εἰσὶ οὐκ ἐλαχίστη μοῖρα, τοῖσι Ἰωνίης μέτα οὐδὲ τοῦ οὐνόματος οὐδέν, Μινύαι δὲ Ὀρχομένιοι ἀναμεμίχαται καὶ Καδμεῖοι καὶ Δρύοπες καὶ Φωκέες ἀποδάσμιοι καὶ Μολοσσοὶ καὶ Ἀρκάδες Πελασγοὶ καὶ Δωριέες Ἐπιδαύριοι, ἄλλα τε ἔθνεα πολλὰ ἀναμεμίχαται· οἱ δὲ αὐτῶν ἀπὸ τοῦ πρυτανηίου τοῦ Ἀθηναίων ὁρμηθέντες καὶ νομίζοντες γενναιότατοι εἶναι Ἰώνων, οὗτοι δὲ οὐ γυναῖκας ἠγάγοντο ἐς τὴν ἀποικίην ἀλλὰ Καείρας ἔσχον κτλ.

Libri exhibent omnes *Ὀρχομενίοισι*, quod quum pravum esse appareret, omnes editores Palmerii emendationem recepere non ab omni parte, opinor, veram. Habemus hoc loco inde a pronomine *τῶν* sententiam ex tribus membris constantem, quorum nonnisi primum relativa enuntiatione formatur, secundum et tertium, quum casus illius pronominis non congruat cum iis quae sequuntur, ita subjiciuntur, ut non primi fiat continuatio, sed solutam et liberam, ut ita dicam, sedem obtineant. Jam primum et postremum suum habent pronomen, quod spectet ad Iones, medium eo caret, quum tanto magis egeat, quod et altera est annexa primo membro enuntiatio relativa et verbum *ἀναμεμίχαται* dativum desiderat. Quibus causis adducor, ut in corrupta codicum scriptura pronomen latere putem scribendumque *Ὀρχομένιοί σφι* pro *Ὀρχομενίοισι.*

Caput II.

Hoc in capite disseram, quemadmodum supra dixi, de quibusdam locis aut omnino non tentatis aut ab uno alterove tantum addubitatis. Prioris generis sunt qui sequuntur.

I, 5 libri et editi et scripti haec habent:

Περὶ δὲ τῆς Ἰοῦς οὐκ ὁμολογέουσι Πέρσῃσι οὕτω Φοίνικες· οὐ γὰρ ἁρπαγῇ σφέας χρησαμένους λέγουσι ἀγαγεῖν αὐτὴν ἐς Αἴγυπτον, ἀλλ' ὡς ἐν τῷ Ἄργεϊ ἐμίσγετο τῷ ναυκλήρῳ τῆς νεός, ἐπεὶ δὲ ἔμαθε ἔγκυος

ἐοῦσα, αἰδεομένη τοὺς τοκέας, οὕτω δὴ ἐθελοντὴν αὐτὴν τοῖσι Φοίνιξι συνεκπλῶσαι, ὡς ἂν μὴ κατάδηλος γένηται.

Per mihi mirum semper visum est neminem offensum esse verbo *αἰδεομένη*, quae si vera scriptura esset, negligentiae crimen mereret Herodotus, quam gratam esse nemo facile contenderit, neque ipsum gratae negligentiae hodie quidquam valet subsidium. Si verba accuratius perpenderis, totam sententiam sermone obliquo enuntiari intelliges, et quamvis variata sit oratio opposito membro per *ὡς* subjuncto, in reliquis tamen ad eum, quo coepta est, modum rediri, unde non dubitabis, quin a participio *αἰδεομένη*, quod causam fugae indicat, incipiat apodosis sitque illud jungendum cum sequente infinitivo. Hoc si verum est, necessario scribendum: *αἰδεομένην*. Quam mutationem nemo audaciorem habebit, qui cognoverit, quam saepe librarii in syllabis verborum postremis peccaverint. Operae pretium est hanc rem nonnullis illustrare exemplis. I, 134, ubi nunc recte legitur: *νομίζοντες ἑωυτοὺς εἶναι ἀνθρώπων μακρῷ τὰ πάντα ἀρίστους, τοὺς δὲ ἄλλους κατὰ λόγον τὸν λεγόμενον τῆς ἀρετῆς ἀντέχεσθαι*, libri manu scripti omnes exhibent *τῷ λεγομένῳ*. I, 38 pro *διεφθαρμένον τὴν ἀκοὴν* S. *τῇ ἀκοῇ*. II, 40 pro *ταύτην ἔρχομαι ἐρέων* F. *ταύτῃ* III, 75: *ἀρξάμενος ἀπ' Ἀχαιμένεος ἐγενεηλόγησε τὴν πατριὴν τὴν Κύρου, μετὰ δὲ ὡς ἐς τοῦτον κατέβη, τελευτῶν ἔλεγε ὅσα ἀγαθὰ Κῦρος Πέρσας πεποιήκοι.* plerique *τοῦτο*. I, 148: *πεπόνθασι δὲ οὔτι μοῦναι αἱ Ἰώνων ὁρταὶ τοῦτο, ἀλλὰ καὶ Ἑλλήνων πάντων ὁμοίως πᾶσαι ἐς τὠυτὸ γράμμα τελευτῶσι κατάπερ τῶν Περσέων τὰ οὐνόματα.* vulgo *τελευτῶσαι*. I, 193: *χρέονται δὲ οὐδὲν ἐλαίῳ ἀλλ' ἐκ τῶν σησάμων ποιεῦνται*, ubi unus S. rectam servavit scripturam, reliqui *ποιεῦντες*. III, 16: *τὸ ὦν κατακαίειν τοὺς νεκροὺς οὐδαμῶς ἐν νόμῳ οὐδετέροισί ἐστι, Πέρσῃσι μὲν δι' ὅπερ εἴρηται, θεῷ οὐ δίκαιον εἶναι λέγουσι νέμειν νεκρὸν ἀνθρώπου.* plerique et ii optimi *λέγοντες*, quare videndum, ne illud quoque *λέγοντες*, quod est I, 51, (*Λακεδαιμονίων φαμένων εἶναι ἀνάθημα, οὐκ ὀρθῶς λέγοντες*) non a manu scriptoris sit profectum. Eodemque modo suspectum videtur quod vulgo legitur IV, 36: *οἳ Ὠκεανόν τε ῥέοντα γράφουσι πέριξ τὴν γῆν ἐοῦσαν κυκλοτερέα ὡς ἀπὸ τόρνου, καὶ τὴν Ἀσίην τῇ Εὐρώπῃ ποιεύντων ἴσην.*

De altero vitio, quod latet in verbis quae supra exscripsimus, infra dicetur.

I, 156:

Κῦρος δὲ ἡσθεὶς τῇ ὑποθήκῃ καὶ ὑπεὶς τῆς ὀργῆς ἔφη οἱ πείθεσθαι.

Non possum mihi persuadere, Herodotum, ubi futuro locus esset, praesens ponere maluisse, praesertim quum una mutata litera communi consuetudini posset satisfacere. Aliud est enim inducere aliquem loquentem, aliud referre quid aliquis dixerit. Ille vivida utens oratione nonnunquam ita loquitur, ut id quod facere cogitet tamquam praesens et quod jam fiat commemoret; qui refert, vix hoc sibi sumit, ut praesentis infinitivo pro futuro

utatur. Nec qui obstare videntur loci non facile emendationem admittunt. Ut apud Xenophontem Cyr. exped. VI, 2, 8: ἀκούσαντες δ' οἱ Ἡρακλεῶται βουλεύεσθαι ἔφασαν jure puto alios βουλεύσεσθαι edidisse. Quapropter veri mihi similius videtur hic quoque a librariis literas soni similitudine propinquas inter se mutatas esse et reponendum suspicor: πείσεσθαι. cf. V, 39: ὁ δ' ἀμείβετο φὰς τούτων οὐδέτερα ποιήσειν, ἐκείνους τε οὐ καλῶς συμβουλεύειν παραινέοντας, τὴν ἔχει γυναῖκα ἐοῦσαν ἀναμάρτητον ἑωυτῷ ταύτην ἀπέντα ἄλλην ἐσαγαγέσθαι· οὐδέ σφι πείσεσθαι.

I, 204:

τὰ μὲν δὴ πρὸς ἑσπέρην τῆς θαλάσσης ταύτης τῆς Κασπίης καλεομένης ὁ Καύκασος ἀπέργει, τὰ δὲ πρὸς ἠῶ τε καὶ ἥλιον ἀνατέλλοντα πεδίον ἐκδέκεται πλῆθος ἄπειρον ἐς ἄποψιν. τοῦ ὦν δὴ πεδίου τοῦ μεγάλου οὐκ ἐλαχίστην μοῖραν μετέχουσι οἱ Μασσαγέται κτλ.

Constans Herodoti usus, quo id cujus modo fecit mentionem, ubi de eo narrare pergit, ita repetere solet, ut idem nomen cum demonstrativo οὗτος conjunctum ponat, is igitur usus, qui neminem fugiat, qui vel paucas Herodotei libri pagellas legerit, in his quoque verbis, quae supra dedimus, demonstrativum requirit. Scribendum est igitur aut τούτου ὦν δὴ τοῦ πεδίου τοῦ μεγάλου aut τοῦ ὦν δὴ πεδίου τούτου τοῦ μεγάλου. Sed quum in codice F. ante πεδίου articulus exstet, indicio hoc est antecessisse demonstrativum, quare illud praetulerim. Bene sensit hunc usum Reiskius, quum I, 84, ubi codices exhibebant: ὁ ὦν δὴ Ὑροιάδης αὐτὸς ὁ Μάρδος, emendavit οὗτος.

Excidit τούτου et alibi negligentia librariorum, velut in bona parte codicum III, 153: ἐνθαῦτα εἰκοστῷ μηνὶ Ζωπύρῳ τῷ Μεγαβύζου τούτου ὃς τῶν ἑπτὰ ἀνδρῶν ἐγένετο τῶν τὸν μάγον κατελόντων, τούτῳ τῷ Μεγαβύζου παιδὶ Ζωπύρῳ ἐγένετο τέρας, quem locum etiam hanc ob causam affero, quia optimas editiones vitio in his verbis laborare video.. Quippe fugit criticos veram scripturam ab uno S. servari. Nihil enim verius quam constanti Herodoti usu scribendum esse τούτου τοῦ Μεγαβύζου παιδὶ Z. Nam hoc dicit: Zopyro filio Megabyzi ejus, qui unus ex septem viris fuit, a quibus magus interfectus est, hujus, inquam, Megabyzi filio Zopyro obtigit prodigium. Repetit igitur, ut solet, cum vi quadam illud nomen, quod interjectis verbis in memoriam revocavit. Nec potuit dicere: huic, inquam, Zopyro, quum de eo supra nihil retulisset, et si hoc dicere voluisset, ineptum fuisset repeti: Megabyzi filio.

Alterum genus est eorum locorum, quos ab uno alterove addubitatos esse dixi, quorum in numerum referendi sunt hi.

I, 2:

οὕτω μὲν Ἰοῦν ἐς Αἴγυπτον ἀπικέσθαι λέγουσι Πέρσαι, οὐκ ὡς Ἕλληνες.

Fuerunt qui vulgatae scripturae eam quae est in nonnullis libris, *Φοίνικες*, anteponerent; plerique, in his Schweighaeuserus, Bekkerus, Dindorfius, illam retinuerunt. Quum alterutram ex correctione natam esse pateat, utra menti scriptoris magis respondeat ejusque modo narrandi melius congruat, quaerendum est. Hac enim in quaestione posita sunt omnia. Quid igitur tradit? Nempe Persarum eruditos affirmare culpa Phoenicum accidisse, ut inter Graecos et barbaros orirentur inimicitiae, quippe illos graecam mulierem raptam secum abduxisse in Aegyptum; eamque rem Persas ita persequi, ut et nomen et genus raptae virginis plane eodem modo quo Graeci memorent; Phoenices contra ita a Persis dissentire, ut volentem se avexisse puellam dicant, rapuisse negent. Utrique igitur eatenus congruunt, ut nave Phoenicia pervenisse in Aegyptum regis filiam narrent; quo modo eo pervenerit, inter se dissident. Jam quis est cui credibile videatur, Graecorum in hac re Herodotum verbo fecisse mentionem, praetermisisse Phoenices, quorum discrepantem a Persis narrationem infra pluribus esset expositurus? Ut illos commemorare voluerit, nonne *οὐδὲ ὡς Φοίνικες* addi oportebat?

Consideranda praeterea sunt quae in quinto capite leguntur: *Οὕτω μὲν Πέρσαι λέγουσι γενέσθαι, καὶ διὰ τὴν Ἰλίου ἅλωσιν εὑρίσκουσι σφίσι ἐοῦσαν τὴν ἀρχὴν τῆς ἔχθρης τῆς ἐς τοὺς Ἕλληνας. περὶ δὲ τῆς Ἰοῦς οὐκ ὁμολογέουσι Πέρσῃσι οὕτω Φοίνικες· οὐ γὰρ ἁρπαγῇ σφέας χρησαμένους λέγουσι κτλ.* Si supra *Ἕλληνες* scriptum erat, non potuit hic dici quemadmodum dictum videmus, sed sic fere debuit: *οὐδὲ Φοίνικες ὁμολογέουσι Πέρσῃσι.* Sin *Φοίνικες*, facile intelligitur, quamobrem relatis omnibus, quae Persae de causis inimicitiarum tradiderunt, nunc eo, unde diu deflexit, revertatur oratio. Nullam certe aliam ob causam quam ut quod adhuc debeatur more suo lectori reddat. Nam sensus verborum, nisi fallor, hic est: de Io non consentiunt cum Persis, quemadmodum dixi, Phoenices, dissentiunt autem hoc modo: non raptu se usos esse sed etc. Voculam *οὕτω* non ad ea solum referri quae praecesserint, verum etiam ad ea quae sequantur, vix opus est monito; desideranti autem exempla haec tria sufficiant. I, 7: *ἡ δὲ ἡγεμονίη οὕτω περιῆλθε, ἐοῦσα Ἡρακλειδέων, ἐς τὸ γένος τὸ Κροίσου, καλεομένους δὲ Μερμνάδας. ἦν Κανδαύλης κτλ.* II, 73: *τοῦτον δὲ λέγουσι — ἐς τὸ ἱρὸν τοῦ Ἡλίου κομίζειν τὸν πατέρα ἐν σμύρνῃ ἐμπλάσσοντα καὶ θάπτειν ἐν τοῦ Ἡλίου τῷ ἱρῷ. κομίζειν δὲ οὕτω· πρῶτον τῆς σμύρνης ᾠὸν πλάσσειν κτλ.* VIII, 140: *ἄνδρες Ἀθηναῖοι, Μαρδόνιος τάδε λέγει, ἐμοὶ ἀγγελίη ἥκει παρὰ βασιλέος λέγουσα οὕτω· Ἀθηναίοισι τὰς ἁμαρτάδας τὰς ἐξ ἐκείνων ἐς ἐμὲ γενομένας πάσας μετίημι.* Quibus ex locis etiam illud apparet, *γὰρ* in verbis: *οὐ γὰρ ἁρπαγῇ* male esse insertum, ultima litera prioris vocis *οὐκ* (confunduntur enim saepissime *κ* et *γ*) cum prima sequentis syllaba pro *γὰρ* habita. Nam post demonstrativa et pronomina et adverbia, ubi ea quae subjiciuntur monstrant, constanter abest conjunctio.

His igitur rationibus *Ἕλληνες* tolerari non posse demonstratum puto. At unde tandem, dixerit quispiam, scriptura ista originem traxit? Ne hoc quidem obscurum esse videtur. Nam quum paulo supra Graecorum mentio facta esset, ut cum quibus Persae in nomine raptae consentirent, de Phoenicibus autem nihil continuo dicatur, facile cui in mentem venire potuit pervulgatae apud Graecos fabulae, ut margini ascriberet *Ἕλληνες* pro *Φοίνικες*.

I, 92:

τὰ δ᾽ ἐν Βραγχίδῃσι τοῖσι Μιλησίων ἀναθήματα Κροίσῳ, ὡς ἐγὼ πυνθάνομαι, ἴσα τε σταθμὸν καὶ ὁμοῖα τοῖσι ἐν Δελφοῖσι.

Etsi Bekkerus et Dindorfius rectissime *τοῖσι*, quod Reiskius conjecerat, in textum receperunt, tamen, quum et superiores editores omnes *τῇσι* ut librorum consensu firmatum retinuerint et nunc quoque reperiantur qui eam scripturam servatam velint, non alienum ab eo quod institui puto, ne cui in posterum moveatur dubitatio, paulo uberius de hac re disserere.

Branchidarum nomini, excepto hoc loco, bis adjectus reperitur articulus: I, 158 omnes codices in *ἐς τοὺς Βραγχίδας* consentiunt, et II, 159 unus S. habet *ἐς Βραγχίδας τοὺς Μιλησίων*, reliqui omnes *τὰς Μιλησίων*. Duo igitur loci pro feminino genere pugnare videntur, unus haud dubie stat a masculino. Jam mirum foret, si Herodotus unam eandemque vocem modo hoc modo illo genere usurpare voluisset, estque illud potius statuendum, eum in nomine hominum sermone celebratissimo a communi consuetudine recedere nec voluisse nec potuisse. Quamobrem sine ulla dubitatione id praeferre debemus, quod et graeci sermonis usu et communi linguarum more nititur. Testimonio sunt illa demorum, quos vocant, Atticorum nomina, quae quum primo progeniem cujuspiam significarent, post ad locum ipsum, quem illa incolebat, translata nihilominus genus patronymicorum servabant. Nam quorundam virorum doctorum sententia, judicantium talia nomina pro varietate significationis utroque genere posse enuntiari, ut, si familia intelligatur, masculinum, si locus, femininum adhibeatur, vel maxime abhorret ab ea ratione, ad quam in vita conformari oratio solet. Neque vero satis mirari possum, cur nonnulli Branchidarum nomine locum indicari dubitent. Bredovius quidem, postquam etiam in multis posteriorum scriptorum locis, ubi Branchidarum mentio sit injecta, articulum deesse dixit, ita pergit (p. 79): „unde merito dubitare possis, anne apud hos posteriores nomen *Βραγχίδαι* pro loci nomine interdum habendum sit, cf. Paus. V, p. 299 (Sylb.): *κατὰ Βραγχίδας πρὸς λιμένι ὀνομαζομένῳ Πανόρμῳ*, — VII, p. 405: *τότε ἐν Βραγχίδαις τῆς Μιλησίας*." Quasi vero Herodotus aliter loquatur atque ejus imitator! Quomodo res se habeat, facile intelliget qui cum nostro loco contulerit hosce. I, 157: *οἱ δὲ Κυμαῖοι ἔγνωσαν συμβουλῆς πέρι ἐς θεὸν ἀνῷσαι τὸν ἐν Βραγχίδῃσι· ἦν γὰρ*

αὐτόθι μαντήϊον ἐκ παλαιοῦ ἱδρυμένον, τῷ Ἴωνές τε πάντες καὶ Αἰολέες ἐώθεσαν χρέεσθαι. ὁ δὲ χῶρος οὗτός ἐστι τῆς Μιλησίης ὑπὲρ Πανόρμου λιμένος. V, 36: *εἰ δὲ τὰ χρήματα καταιρεθείη τὰ ἐκ τοῦ ἱροῦ τοῦ ἐν Βραγχίδῃσι κτλ.* I, 46: *διαπέμψας ἄλλους ἄλλῃ, τοὺς μὲν ἐς Δελφοὺς ἰέναι, τοὺς δὲ ἐς Ἄβας τὰς Φωκέων, τοὺς δὲ ἐς Δωδώνην· οἱ δέ τινες ἐπέμποντο παρά τε Ἀμφιάρεων καὶ παρὰ Τροφώνιον, οἱ δὲ τῆς Μιλησίης ἐς Βραγχίδας.* Quid multa? Hujus nominis eadem quae Delphorum est ratio, ut et loci et incolentium habeat significationem; cf. Strab. XIV, 1 (p. 165 edit. Tauchn.): *μετὰ δὲ τὸ Ποσείδιον τὸ Μιλήσιον ἑξῆς ἐστι τὸ μαντεῖον τοῦ Διδυμέως Ἀπόλλωνος, τὸ ἐν Βραγχίδαις, ἀναβάντι ὅσον ὀκτωκαίδεκα σταδίους· ἐνεπρήσθη δ' ὑπὸ Ξέρξου, καθάπερ καὶ τὰ ἄλλα ἱερὰ πλὴν τοῦ ἐν Ἐφέσῳ· οἱ δὲ Βραγχίδαι τοὺς θησαυροὺς τοῦ θεοῦ παραδόντες τῷ Πέρσῃ φεύγοντι συναπῆραν, τοῦ μὴ τίσαι δίκας τῆς ἱεροσυλίας καὶ τῆς προδοσίας. Ὕστερον δ' οἱ Μιλήσιοι μέγιστον νεὼν τῶν πάντων κατεσκεύασαν, διέμεινε δὲ χωρὶς ὀροφῆς διὰ τὸ μέγεθος· κώμης γοῦν κατοικίαν ὁ τοῦ σηκοῦ περίβολος δέδεκται καὶ ἄλσος ἐντός τε καὶ ἐκτὸς πολυτελές· ἄλλοι δὲ σηκοὶ τὸ μαντεῖον καὶ τὰ ἱερὰ συνέχουσιν.*

Tota de genere quaestio ad finem erit perducta, si nequidquam provocari ad codicum auctoritatem et lectionem *τῇσι* mendo dumtaxat scribarum deberi demonstraverimus. Ut enim supra ostendimus per pronuntiandi modum factum esse, ut saepenumero confunderentur in libris *οι* et *ει* diphthongi, ita eandem ob causam *η* et *οι* passim sunt permutata; hinc et illa, quae tantum grammaticis negotii exhibuit, librorum inter conjunctivi et optativi formas fluctuatio. Cujus rei ut omnis dubitatio expellatur, facere non possum quin haec afferam exempla: III, 137 pro *τοῖσι σκυτάλοισι* permulti codices exhibent *τῇσι σκυτάλῃσι*, VII, 63, ubi recte nunc legitur: *ἀσπίδας δὲ καὶ αἰχμὰς καὶ ἐγχειρίδια παραπλήσια τοῖσι Αἰγυπτίοισι εἶχον*, optimi libri habent *τῇσι Αἰγυπτίῃσι*, quod vel Schweigh. recepit, II, 125 pro *ἄνιοι* S. V. *ἂν εἴη*, III, 71 pro *οἴκας* S. *ἥκας*, I, 18 pro *οὐδαμοὶ Ἰώνων* S. *οὐδαμῇ*. vicissim I, 1 pro *ναυτιλίῃσι μακρῇσι* unus liber praebet *μακροῖσι*, ibid. pro *ἄλλῃσι* (intell. *γυναιξὶ*) S. *ἄλλοισι*, II, 35 pro *τῇσι ὁδοῖσι* F. *τοῖσι* (quod idem exstat VII, 114), I, 195 pro *τῇσι Βοιωτίῃσι ἐμβάσι* S. V. *τοῖσι Βοιωτίοισι*, III, 93 pro *τῇσι νήσοισι* F. *τοῖσι*, VII, 10 pro *γνωμέων ἀντιέων ἀλλήλῃσι* S. *ἀλλήλοισι*, II, 11 pro *ἢ ἐμέ* S. *οἶμαι*, IV, 20 pro *κατήκουσι* optimi codices *κατοίκουσι*, I, 92 pro *Προνηΐης τῆς ἐν Δελφοῖσι* vulgo *προνήΐοις τοῖσι*, sicut VIII, 37 S. aliique *Προνοιίης*, quod mendum magnam de nomine deae inter viros doctos controversiam excitavit. His diligenter expensis intelligitur, unum locum relinqui, qui pro feminino genere nominis Branchidarum possit advocari, sed eum ipsum, quum prior error pepererit alterum, nullius esse momenti verumque ibi in codice S. servatum.

I, 93:

Θώματα δὲ γῆ Λυδίη ἐς συγγραφὴν οὐ μάλα ἔχει, οἷά τε καὶ ἄλλη χώρη.

In nullo neque scripto neque edito libro intercedit articulus inter *γῆ* et *Λυδίη*, unus Bekkerus more suo breviter, nonne, inquit, *γῆ ἡ Λυδίη*? Quo magis miror, quid causae sit, quod Dindorfius id quod usus Herodoti necessario postulat non reposuerit. Supersedeo rem exemplis confirmare, quum hoc jam a Bredovio factum sit, quem verum intellexisse gaudeo, cf. ejus libr. p. 84. Sed ne quis codicum opponat auctoritatem, haud ab re duco ostendere nihil esse frequentius quam omissas a librariis propter similium sonorum viciniam voculas vel syllabas. Igitur I, 174 post verba: *οἰκέουσι δὲ καὶ ἄλλοι καὶ Λακεδαιμονίων ἄποικοι Κνίδιοι* deest codicibus relativum *οἳ*, quo reposito Bekkerus totum verborum ambitum, quum ante obscurus esset et perplexus, in integrum restituit; I, 185 ante verba: *ἄλλα δὲ ἀφαιρημένα ἄστεα αὐτοῖσι, ἐν δὲ δὴ καὶ τὴν Νίνον* excidit *ἀλλ'* a Bekkero receptum; II, 31 vulgo legebatur: *πάρεξ τοῦ ἐν Αἰγύπτῳ ῥεύματος· οὗτοι γὰρ συμβαλλομένῳ μῆνες εὑρίσκονται κτλ.* sed jam Reiskius viderat pro *οὗτοι* scribendum esse *τοσοῦτοι*. VII, 95 in verbis: *οἱ δὲ λοιποὶ ἐκ τοῦ Πόντου στρατευόμενοι* recte *οἱ* ante *ἐκ* inseruit Wesselingius; IX, 76, ubi vulgo secundum codices legebatur: *κοσμησαμένη χρυσῷ πολλῷ καὶ αὐτὴ καὶ ἀμφίπολοι*, inter *καὶ* et *ἀμφίπολοι* ponendum esse *αἱ* primus intellexit Reiskius; I, 179 in verbis: *ὀρύσσοντες ἅμα τὴν τάφρον ἐπλίνθευον τὴν γῆν ἐκ τοῦ ὀρύγματος ἐκφερομένην* duo tantum libri *τὴν* post *γῆν* servaverant. Sed haec hactenus.

I, 165:

πρὸς δὲ ταύτῃσι καὶ μύδρον σιδήρεον κατεπόντωσαν καὶ ὤμοσαν μὴ πρὶν ἐς Φωκαίην ἥξειν πρὶν ἢ τὸν μύδρον τοῦτον ἀναφῆναι.

Omnium librorum scripturam *ἀναφῆναι* merito Reiskio suspectam si quis defendi posse putaret illo: *τὸ Δέλτα νεωστὶ ἀναπεφηνός* (II, 15), falleretur, quum aoristi alia sit ratio atque perfecti. Sed neque Reiskii conjectura *ἀναφανῆναι* neque quod Bekkerus suspicatur, *ἀναδῦναι*, videtur probabile. Vitium potius latet in una litera et scribendum: *ἀναβῆναι*. Sic e contrario II, 127 pro *Χεφρῆνα* S. V. *Χεβρηῖνα*, IX, 93 pro *πρόφαντα* S. V. Vall. *πρόβατα*.